



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Assertiones Philosophicæ Fusius Deductæ Philosophiæ  
Peripateticæ communioris Epitomen exhibentes**

**Leuren, Peter**

**Coloniae Agrippinae, 1681**

xlviij [i.e. v]. Enunciatio est simplex qualitas.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71607](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-71607)

non intelligere, is dicitur scire immediatum hujus scripturæ significatum; quòd verò legens priùs de re, quàm de voce cogitet, est, quia ob celeritatem & consuetudinem non advertit, præcedere cognitionem vocum.

V. ENUNTIATIO sive judiciũ est una simplex qualitas, & non composita ex tribus apprehensionibus, quarũ una subjecto, altera copulæ, tertia prædicato correspondeat; dantur enim hæ tres apprehensiones, dum audita hac propositione: *Petrus est doctus*; singula tria possunt singulis apprehensionibus apprehendi, & omne judiciũ suspendi, cùm intellectus per hoc, quòd horũ trium successivè habeat apprehensiones, adhuc nihil judicet, sed post singulorum terminorũ apprehensiones priùs unico indivisibili actu ferat sententiam & judicet. Ad hæc neq; meræ apprehensiones constituere possunt judiciũ, aut componere compositum, aliquod essentialiale; quænam enim ex istis tribus habebit se per modũ formæ? quæ per modũ materiæ? absurdius autẽ est dicere, esse aggregatum per accidens, ut cumulus lapidum. Nihilominus resolvi potest judicium in prædicatum & subjectũ tanquam partes virtuales (quod vult Arist.) quatenus tot apprehen-

prehensionibus æquivalet. Nequẽ actus ille ex his tribus, qui terminatur ad copulam seu identitatem, vel non identitatem, constituere potest hoc concretum in ratione affirmativi vel negativi; cum ista identitas vel non identitas repræsentari possit per apprehensionẽ, vel si repræsentetur affirmando vel negando, erit actus illam repræsentens per suã entitatẽ formaliter judiciũ, & repræsentando identitatẽ repræsentabit simul prædicatũ & subiectum. Imò nequidẽ propositiones hypotheticæ componuntur ex duplici iudicio; quia v.g. hæc hypothetica: *Si sol est, dies est*: æquivalet isti: *Sol lucens est dies, seu facit diem*. Dicitur autẽ iudicium res componere vel dividere, in quantum objecta repræsentata per plures apprehensiones componit iudicando, esse unum, vel dividit, negando esse unum.

VI. Omne iudicium humanum ( contrarium est de angelico ob intellectus angelici præstantiam ) etsi non necessariò præcedat apprehensio complexa nudè prius repræsentans totum sine affirmatione & negatione, quod postea actus iudicativus affirmando vel negando repræsentat, saltem in materiis evidentibus, præcedit tamen, vel necessariò